Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 923
Quelle:
Copyright:

Vascula concreto (vel *concretae*) *fragilis* (vel *fragili*) *de pulvere cretae.*

Verum vel sic plura in his Distichis supersunt, quae immedicabilia videntur.

CCCCIII.

R. 2000 Codex membraneus lat. Sec. XV. ineuntis Folior. 156. f. per duas columnas non una manu, probe tamen exaratus, rubricis enotatus, et, ut pluribus locis praefert, quondam *Fratrum domus Porte beate Marie virginis in Axpach ordinis Carthusiensium Prouincie Austrie* ita orditur: *Incipit prefacio Ysidori in explanacione hystorie Diuine legis.* Habemus itaque sancti doctique Praesulis *Commentaria in V. T.* prout in edit. *Paris.* 1601. f. p. 413. adpellantur, et quidem integra, nec spernendi exempli, ut enim pluries peccet, sufficit tamen etiam quaedam lectioni editae praeferenda. Ita in *Praef.* malim *canorum aliquid resonant*, quam *sonorum aliquid resonant;* item *non nostra legat — relegat*, quam *non nostra legit — relegit. Cap. 1. tenebrosum et profundum*, quam *tenebrosum et fluidum;* item *in ecclesia lucis nomine*, quam *lucis nomine* &c. Ad calcem adscripta sunt XLVIII. illa Disticha in *Bibliothecam* et *Pigmentarium* eodem modo, ut supra dixi, se habentia, quae cum pariter excipiat miniata illa Clausula: *Explicit liber ysidori in explanacione hystorie legis diuine*, lectioque varia passim consentiat, dubium mihi vix est, pro more, quo Coenobia Codices sibi communicabant, hunc e superiore descriptum fuisse.

II. *fol.* 85. p. 2. vacua currente calamo adscripta est Expositio V. 1. C. V. *Isaiae: Cantabo dilecto meo Canticum*, qua verba haec singula mystice expenduntur.

III. *fol.* 86. *Incipit Honorius super Canticum canticorum.* Frequenter et superiore, et hoc *Vol.* recensum est Opus istud, motumque dubium, an *Honorius* hic re ipsa sit *Augustodunensis* ille Literatoribus cognitus. Initium in hoc Exemplo pariter est: *Symoni donum sapientie cum Salomone poscenti* &c. memoraturque mox ejus *predecessor beate memorie venerandus Abbas Chuno.* Multa ceterum Inscriptionum miniatarum differentia, nec rara, si cum Editis *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. p. 1153. contendas, lectionis varietas. Ad calcem rubro: *Explicit Honorius super Canticorum. Cibus est perfectorum. Amen.*

IV. *fol.* 154. *Concordantie veteris ac noui testamenti.* Ita concinnatae, ut ab Annuntiatione adventus Christi usque ad adventum Judicis singulis Mysteriis adcommodetur, quidquid in Lege veteri aliquam habet Figurae speciem. Ineunt hoc modo: *Annunciacio filij dei. Conceptio virginis Marie. Nunciatur Abrahe ysaac natiuitas Gen. 17. Predicit angelus parentibus ortum Sampsonis Judic. 13. Datur Gedeoni signum in vellere*

Judic.